

sericordiam, teste S. Chrysostomo, qui in eaverba Psalmi IX. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, scribit. « Opportunitatem hic dicit afflictionem. Qua de re? Quod sit mater studii sapientiae, et maxime divinum attrahat auxilium: » et mox: « Tunc autem maxime sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus. » Sane leprosum, tametsi ab hominum consortio separati sint, Deus curam gerit, ut habeant unde vivant. Senex quidam, in vitis pp. ad sexaginta annos leprosus, cum ei pro sustentatione offerretur pecunia, respuit eam dicens: *Tu post sexaginta annos venis auferre nutrimentum meum? Totidem enim annis Deus me sustentavit*. Referunt ipsi leprosi minus se cruciari lepra, si ex pane non proprio, sed mendicato vivant. Mendicatus autem panis, ex sententia S. Francisci, est *panis Dei*. Quare, uti leprosi Deum nutritionem habent, ita afflicti omnes ad Deum recurrentes, ipsum habent auxilium. Vult Deus ut leprosi stipem mendicando quaerant: vult etiam ut afflicti opem ab ipso postulent: *Ego feci, et ego feram*, ait Isa. XLVI. ego feci ut essent leprosi et miseri; ego eisdem opem feram, et supportabo illos gratia mea.

Verum si Deum ad se trahere volunt, adamantem non admittant, cordis scilicet duritiam. Nam qui adamantis instar flagellis non cedunt, sed incudis admodum potius indurantur uti Pharaon, Dei iram ad se trahunt, juxta id Zach. VII. *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, etc. et facta est indignatio magna in Domino exercituum*.

CONCIO V.

GLORIA DEO DANDA GRATITUDINE, PECCATI
CONFESSIONE, VERITATIS ENUNTIATIONE, SUI
ABJECTIONE.

I. Datur gloria Deo gratitudine. — II. Peccatorum
confessione. — III. Veritatis contestatione. — IV.
Sui abjectione et demissione.

THEMA.

Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo.
Luc. XVII.

Magno utique mysterio requisivit olim Deus censum a Judaeis per singula eorum capita, quoties urgente causa numerandus erat populus, dimidium sicii, qui valebat nostros viginti cruciferos, Exod. XXX. *Dabunt singuli pretium*, inquit, *pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti*. Cur vero suas plagas redimere debebant censu pecuniario? Ad quid pe-

cunia Deo? Nimirum illi populo omnia in figuris contingebant, quae nos Christiani implemus in spiritu et veritate. Census igitur ille, secundum Divum Cyrillum, aliud non denotabat nisi Dei cultum, seu gloriam et honorem, Deo per omnia debitum; quem omnes et singuli creatori suo persolvere et possunt et debent, sive pauperes, sive divites. Hunc censum requisivit Dominus in hodierno evangelio a decem leprosis, nec dedit nisi unus, subtraxere caeteri, jure sane merito propterea notati: *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*. Nos igitur, auditores, ne et ipsi hanc censuram incurramus, aut peiores alias plagas, demus operam, ut hunc censum Deo exactissime persolvamus. Qua vero ratione dari gloria Deo possit et debeat, docebunt nos ss. litterae, uti nunc audiemus.

I. Gratitudine, uti a Christo Domino in hodierno evangelio. Dant enim Deo gloriam, qui agnoscunt se bona sua habere a Deo, adeoque cum gratiarum actione eidem accepta ferunt; quod Samaritanus quidem fecit, reliqui novem non fecerunt. Unum hoc a nobis exigit tributum Deus pro omnibus donis suis, ut gloriam ei demus gratias agendo; quod adeo justum et aequum est, ut non modo gentiles et alienigenae, qualis erat hic Samaritanus, sed etiam bestiae faciendum esse agnoscant, et vere etiam faciant. Justissima sane fuit illa Dei petitio, qua exegit fructus annuos a vineae suae cultoribus, missis ad hoc primo servis, deinde proprio Filio suo, Matth. XXI. At vero quid ingrati illi responderunt cuculi? *Hic est haeres, inquit, venite occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus*. Quod verbum adeo turpe et detestandum erat, ut ipsimet improbi et ingrati Scribae et Pharisei (qui ea parabola notabantur) sententiam in agricolas illos, adeoque in seipsos, tulerint: *Malos male perdet* (dominus vineae) *et vineam suam locabit aliis agricolis*. Merentur ergo ingrati qui gratiarum actionem velut censum seu tributum domino suo subtrahunt, privari bonis et beneficiis acceptis: quod si insuper pro bono malum reddant, male etiam perire. Quis vero nescit aut negare ausit mundum hunc totum et quae in eo sunt, propter nos homines esse creata? Et quo graviore sub onere, quam ut reddamus Deo nostro debitum gratitudinis tributum? Ut laudemus benefactorem? Certe parentem nostrum Adam jure merito ejectum fuisse e paradiso, quod tot tantisque Dei beneficiis nihil retulisse gratitudinis legatur, censet Rupertus, lib. II. cap. XXXIX. Creatus enim a Deo erat ad imaginem ipsius, et imperator mundi constitutus; nec tamen in gratiarum actionem prorumpere audi-

tur: positus est in paradysum, locum deliciarum plenissimum; et adhuc mutus est; datur ei adjutorium simile ei, necdum laudes Deo canit. « Qui ergo gratiam Dei non agnovit, ait Rupertus, non mirum, quod ad hoc pertinet, ut et peccaret et peccatum suum non agnosceret, quia res vicina est; eodem quippe intuitu et suum malefactum, et divinum erga se cognoscit homo beneficium. »

Jam vero, si exterminari ex hoc mundo digni sunt qui Deo censum gratitudinis non reddunt: quid merebuntur illi, qui praeterea, ut Judaei illi injurias pro beneficiis rependunt? Malos male perdet, dixerunt in seipsos Judaei, quod et experti sunt, quando a Tito excisi a patria per orbem postea dispersi sunt, quia Dei Filium, ad se pro exigendis frugibus missum, ejecerunt extra vineam et crucifixerunt. Viderint ergo qui Deo pro acceptis beneficiis mala rependunt, et creaturis sibi ad hilaritatem et salutem impensis impie abutuntur ad injuriam creatoris. Julianus imperator apostata, ut Joannes Bodinus refert, habuit in insignibus sui suae perversitatis symbolum non absimile, aquilam, quae sagittis, de suis met pennis concinnatis, confingeretur; indicaturus commune esse imperatoribus, ut ab iis everterentur, quos ad nimios honores exerissent. Quam vere seipsam tetigit, qui Dei beneficio ad imperium evectus, postea a fide deficiens, Deum impugnare, ipsimet Christianorum libris, quibus prius ad fidem informatus erat, cepit! Utinam vero non plures etiam Christiani hunc apostatam sequerentur: quod tamen faciunt illi, qui ea, quam ad benedicendum acceperunt a Deo, lingua Deum blasphemant, et quidem per salutaria, sibi ad salutem parata, sacramenta et Christi vulnera: faciunt, qui vino et similibus creaturis ad reficiendum et exhilarandum animum datis, abutuntur ad beluina inurgitationem et ebrietatem: faciunt alii plerimi, qui dona et talenta sibi a Deo credita convertunt in spicula, quibus in Deum pugnant. Ex unius ingrati hujusmodi supplicio aliorum poenas colligamus, aliquando subeundas. Joas rex Jerusalem, ipsis in cunis servatus a caede et tyrannide Athaliae, clamque enutritus, postea a Joiada pontifice adhuc puerulus in regiam sedem evectus, ad extremum pro mercede, filium Joiadae, Zachariam, quod contra idolorum cultum praedicasset, lapidibus peti atque interfici jussit: *Et non est recordatus Joas rex misericordiam, quam fecerat pater illius secum, sed interfecit filium ejus*, II. Paralip. XXIV. De quo tam immani regis omnium ingratisissimi parricidio ita scribit Genebrardus, in chronico, lib. I. anno 3327.

« Zacharias filius Joiadae in ipso templo occisus est. Hujus sanguis usque ad adventum Nabuchodonosoris, instar ollae bullientis; quasi ultionem deposcens, ferbuisse traditur. Nec id impunitus rex; nam et ipse occisus est a duobus servis. Ex quo autem Joas Zachariam occidit, cesarant Dei in templo polluto responsa et oracula ex debir, secretiore parte templi, in qua erat propitiatorium, et ex ephod, ornamento pontificio, ut scribit Divus Epiphanius. » Ita Genebrardus. Neque haec Dei ultio diutius quam ad finem anni dilata fuit, ut citato Paralipomenon loco habetur. Servi autem a quibus occisus est, erant, ut Lyranus asserit, duo, unus Ammonita, alter Moabita, amici eximiis beneficiis a rege prius condecorati, ut ita ingratus herus ab ingratis necaretur servis. Sed illud maxime notandum, quod sanguis prophetae ebulliens videtur evocasse regem Nabuchodonosorem ad puniendum scelus ingratitude in regnum ipsius. Ebullit adhuc sanguis Christi, et vindictam petit contra ingratos Christianos, qui ipsius sacratissima passione et sanctissimis sacramentis abutuntur, et fervebit usque ad judicii diem.

II. Peccatorum confessione; quemadmodum dixit Josue, quando Achan, furti reum, ad fateendum culpam adhortatus est: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid feceris, ne abscondas*, Josue VII. Quia nimirum Deus uti peccantium culpis offenditur, ita poenitentium confessionibus glorificatur. Primo, quia sic profiteamur nobis adscribenda esse peccata nostra, non Deo, uti blasphemus quidem haereticus docent. Dicimus itaque in confessione: *Mea culpa; non tua, Domine: Mihi confusio, tibi autem honor et gloria*. Ita Daniel, c. IX. confitetur: *Tibi Domine, justitia, nobis autem confusio faciei*, h. e. juste nos punis, et merito nos erubescimus ob peccata nostra. Hoc pacto reddendam Deo gloriam censuere Philisthaei, quando in expiationem irreverentiae suae in arcam Dei commissae, obtulerunt ei anos muresque aureos, et quidem ex consilio suorum sacerdotum dicentium: *Facietis similitudinem anorum vestrorum, et similitudinem murium; et dabitis Deo Israel gloriam*, I. Reg. VI. Eo enim dono fatebantur suam delictam Dei vero justitiam et potentiam. Immunda bestiolae, ut vermes, ranae, serpentes, mures, dum spirant et vivunt, odiosae sunt et nauseam movent; at ex auro conflatae et gemmis distinctae in deliciis habentur: ita peccata, dum patrantur adhuc in anima vivunt, abominatio sunt Deo; eadem vero mactata et accusata in confessione delictae ei fiunt.

Secundo, quia sic testamur Christi, medic. etc.

tri, potentiam, sapientiam, bonitatem et misericordiam; ut qui omnia nostra vulnera, quotcumque et qualicumque sint, sanare possit et paratus sit. Ita enim S. Augustin. in Ps. XCIV. *Quare maxime pertinet ad laudem Dei, quoniam confiteris peccata tua? Quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus desperatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua: tanto enim major est laus ignoscentis, quanto major exaggeratio est peccata confitentis.* Dum Martha fratris defuncti putredinem et fetorem exposuit, hoc ipso Christi potentiam extulit; siquidem etiam quatruiduanum et jam fœtentem se excitaturum promisit, et excitavit. Ita, quo magis in confessione accusamus iniquitatem nostram, eo magis prædicamus nostri medici bonitatem, ostendimus Dei misericordiam super-exaltare iudicium et superare ejus justitiam; quia confitendo ad misericordiam eum inflectimus, tametsi ejus justitia delictis infensa vindictam exposcat.

Tertio, quia in confessione pro Dei amore nobis ipsis irascimur, pieque nos affligimus confitendo errata nostra, hostesque Dei terribiles, peccata inquam, quasi captivos factos ad Dei pedes adducimus, prosternimus, accusamus et traducimus. Fidelis utique servus et amans domini sui est, qui non dubitat prodere et traducere hostes ejus, ut occidantur et pereant. Ita Mardocheus, quanti æstimaret honorem regis sui Assueri, satis superque ostendit, dum ei prodidit insidiatores vitæ ejus, eunuchos duos, Esther. VI. At qui hoc penitens agit, dum peccata sua prodit in confessione, adeoque etiam punit, confundit, et traducit Dei amore quem offenderunt, et quantum in se erat, delere voluerunt. Profecto illustrius in Deum fidei et amoris signum est, si ego mea delicta, meas prodiones et insidias, meipsum proditorum patefaciam, quam si aliena deferam; quia longe difficilius est seipsum confundere et punire, quam alium. Id vero ago in confessione. Unde S. Ambrosius, in Ps. I. VIII. serm. IV. ait: *Qui sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse, quod fecit in diabolo prodidisse quod suasit, etc.* Sic ergo penitens honorem Deo ablatum per peccatum restituit per confessionem, quomodo Judas restituit honorem (bona saltem ex parte) Christo, cum triginta argenteos refulit confitendo suum delictum et Christi innocentiam; quoad hoc bene inchoans penitentiam, sed in desperatione male finiens.

Quarto, quia imaginem Dei vitii emortuam revocat ad vitam, omnique cæno deterso, reddit nitidam Deoque gratam. Unde S. Gregorius Nazianz. ad Vital. « Peccati vel sola confessio, inquit, hominibus sæpe saluti fuit, acerbissimis

que lacrymis graves noxas abluit, animamque vitio tetram obscenamque purgavit. » Quis autem neget ad gloriam imperatoris cedere, si quis ejus statuam in foro stantem, et luto vel vetustate fœdatam, expurget et pristino nitore restituat? Eandem Dei imaginem subtrahit confessio incendio gehennæ: quomodo igitur non Deum honorificat? Certe Metellus ille pontifex Rom. qui Palladium seu Palladis simulacrum antiquissimum, conflagrante templo Vestæ, subtraxit ab incendio, maximum inde consecutus est decus et honorem, ita ut solus curru vehi in Capitolium posset, quod honori Palladis suo periculo consulisset et damno, visu nimirum amisso, teste Plinio, l. VII. c. XLIV. Cur non etiam censeatur Deum magno honore afficere, qui ejus imaginem, seipsum, eripit a gehenna, dum se accusati in confessione? Unde Pacianus, in paræn. ad pœnit. *Gehennam, inquit, recordemini, quam vobis confessio extinguit.*

III. Veritatis contestatione. Hoc sensu Pharisei dum examinarent cæcum natum a Christo illuminatum, et compellerent ad rei veritatem enuntiandam, dixerunt ei: *Da gloriam Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est,* Joan. IX. h. e. veritatem edicito, a quonam sanatus sis. Ergo qui veritati reddit testimonium, præsertim cum ea per violentiam impugnatur et opprimatur, Deum honorificat. Primo, quia talis Dei præsentis reverentia ductus, indignum reputat coram ipso, qui est ipsa veritas et cognitor omnium cordium, mentiri aut veritatem suppressere. Unde glossa eo loco ait: *Dare gloriam Deo est, veritatem de aliquo, quasi Deo præsentem, dicere.* Qui enim mentiri audet, non videtur agnoscere Deum cordium cognitorem, intima omnia penetrantem et pervidentem; uti e contra qui mentiri metuit, Dei oculum corda inspicientem revereri dignoscitur. Hanc utique ob causam Ananias et Sapphira morte subita, et forsitan (uti S. August. ser. XXVII. de verb. apostoli, et S. Basil. ser. I. de instit. monach. putant) etiam æterna plexi sunt, quia a Petro interrogati, mentiri Deo, cordium scilicet inspectori ausi sunt, quasi nimirum Deus de impostura nihil omnino sciret, Act. V. Unde Eccl. XV. dicitur: *Viri mendaces non erunt ejus (sapientiæ increatæ omnia cognoscentis) memores, quia de illo non cogitant,* ait Lyranus.

Secundo, quia Deus amator est veritatis, imò ipsa veritas: qui ergo veritatem propugnat et mendacium odit ac impugnat, Dei militem se ostendit pro gloria Domini sui strenue certantem: *Non amat falsum auctor veritatis,* inquit Tertull. l. de spectac. c. XXIII. *adulterium est apud illum omne quod fingitur.* Propterea Eleazarus ille

etiam fingere cibi a lege vetiti comestionem noluit: *Nam, inquit, etsi præsentem tempore supplicii hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam,* II. Macch. VI. Ob eandem causam Jonas nautis interrogantibus quid fecisset, quod ipsius causa tam sæva tempestas orta esset, dixit eis omnem veritatem, et confessus est peccatum suum, ut habetur, Jon. I. § X. Sed quam ob causam homo Hebræus et propheta confitetur nautis barbaris et gentilibus suam culpam? Audiatur ipse Jonas ad eos loquens: *Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam,* atque ideo, ut sequitur, veritatem abscondere non est ausus, sed libere enuntiare coactus est, quia servus Dei, qui ipsa veritas, et veritatis amator erat. Congruit nomen parentis ejus *Amathi,* h. e. *veritas;* quia Jonas, uti *filius veritatis,* ita ob timorem Dei, amator quoque erat. Talem igitur qui se esse ostendit, utique Deum glorificat, velut fontem veritatis et hostem mendacii.

Quia veritas est secundum naturam, mendacium contra naturam. Qui autem secundum naturam agit, nature auctorem honorificat et collaudat; qui vero contra naturam agit, Dei ordinationi resistit et opus ejus invertere conatur. Aves dum cantant, canes dum latrant, boves dum mugiunt, homines dum humana voce loquuntur, Dei opus et sapientiam celebrant: quod si aves latrarent aut obmutescerent, homines latrare conarentur vel mugire, canes aut boves loqui vel cantare, nature ordinem et pulchritudinem vitarent, adeoque etiam auctorem ejus arguerent. Jam, ut vel ipse agnovit et docuit Aristot. IV. eth. c. VII. veritas nature humanæ per se congruit; mendacium vero non magis quam latrare, mugire, mordere, quod brutis solum convenit. Hinc est quod veritatem loqui, nullius fere laboris sit, permagni vero mentiri; quia illud secundum naturam, hoc contra naturam humanam est. Sunt artes, quæ ob difficultatem requirunt multum temporis donec addiscantur: aliæ faciliores, quasi a natura ipsa edoctæ, nullo negotio discuntur. Hujus generis est veritas, ad quam eloquendam natura ipsa comparati et quodammodo nati sumus: illius vero mendacium, quod cum nature adversetur et fugam fugiat, colorari fuco veritatis debet, multoque tempore eget. Veritas merces suas, sicut in se sunt, depromit venditque sinceræ et veras. Mendacium, quia falsas et inutiles vendit, fingere eas ad speciem veritatis, et fucare vel occultare debet, ne falsitas deprehendatur. Hinc Jer. IX. § V. de mendacibus dicitur: « Docuerunt

linguam suam loqui mendacium. » Quod explicans D. Gregorius, XII. mor. c. XXI. « Alius, inquit, relicta veritate, mentiri deliberat, ut audientem animum fallat. Sed quantus labor est sollicite custodire, ne ipsa ejus fallacia deprehendi queat! Ponit quippe ante oculos quid a veritate scientibus responderi possit, et cum magno cogitatu pertractat, quomodo per argumenta falsitatis documenta veritatis exsuperet. Hinc inde se circumtegit, et contra hoc ubi deprehendi potuerit, veritati similem responsonem quærit, qui si velit verum dicere, utique sine labore potuisset. Plana quippe veritatis via, et grave est iter mendacii. Unde et per prophetam dicitur: Docuerunt linguam suam loqui mendacium. » Sic Gregorius.

IV. Sui abjectione et dimissione, qua omnia nostra Deo, non nobis adscribimus. In hunc sensum Jeremias prædicat Judæis, cap. XIII. § XV. et XVI. *Audite et auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est. Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, etc.* h. e. vestram infirmitatem et debilitatem agnoscite, et in me solo auxilium adversus Claldæos ponite et quærite. Qui ergo fatetur se absque Deo nihil esse, nihil posse, cum Deo omnia esse et posse, quia sua bona omnia Deo adscribit, is dat gloriam Deo. Hoc præscribens Ecclesiast. c. III. § XX. et XXI. ait: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* Superbi sua bona sibi, humiles sua Deo accepta referunt: unde illi gloriam Deo rapiunt, isti afferunt. Bene Lactantius, l. VI. instit. c. ult. ait: *Summus colendi Dei ritus est: ex ore justii hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa ut Deo sit accepta, humilitate opus est.* Hujusmodi cultus exemplum et normam præbuere imprimis viginti quatuor illi seniores: *Qui procedebant ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum,* Apoc. IV. hoc subjectionis ritu omnia sua bona Deo adscribentes. Præclarius adhuc exhibuit B. Virgo, quando cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* Unde vero glorificat Deum? Sua humilitate, omnes suas gratias ipsi adscribendo: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, etc.*

Simili modo Deo, non sibi gloriam dedere illi, qui ob eximias virtutes suas electi ad summas dignitates, non nisi profundissima humilitate, eas adierunt, uti S. Leo Pp. IX. qui electus ad summum pontificatum, sumpto habitu peregrini, e Germania Romam pedes ivit, per ipsam vero Romam nudis omnino pedibus ad sedem suam

intravit : S. Petrus Cœlestinus ad eandem electus dignitatem, humili asello vectus Romam perrexit : S. Otho Bambergensis et S. Norbertus Magdeburgensis, episcopi, uterque similiter ad occupandas suas sedes abeuntes, ubi primo conspexerunt eas de procul, detractis

sibi calceis nudipedes urbem et aedes suas ingressi sunt. Quid hi aliud sibi voluere, nisi quod viginti quatuor illi seniores, jactare scilicet coronas suas ad pedes Christi Domini? Quid aliud nisi dicere : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam?*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XX.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ. Ideo dico vobis : Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis : neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca? Et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur Deus sic vestit ; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

CONCIONES.

- | | |
|--|---------------|
| I. Providentia Dei circa hominem specialis. | IX. Mysteria. |
| II. Nimia sollicitudo pro rebus fluxis ableganda. | |
| III. Lilia agri quid nos doceant. | |
| IV. Volatilia quid nos doceant. | |
| V. Quam difficile sit divitem Deo servire. | |
| VI. Quomodo divitiæ haberi absque peccato queant. | |
| VII. Quare velit Deus sanctos aliquos hic florere divitiis et honoribus, adeoque prosperari. | |
| VIII. Documenta. | |

CONCIONES AUCTARII.

- I. Volatilia cœli quam varie serviant homini mira Dei providentia.
- II. Providentia Dei elucet in corvis.
- III. Homo qualis sit lilia ostendunt.
- IV. Lilia, seu flores, Deum nobis monstrant.
- V. Servitus divitiarum quam misera.

CONCIO I.

PROVIDENTIA DEI CIRCA HOMINEM SPECIALIS.

- I. In nominum sustentatione. — II. In diversitate vultuum. — III. In hominum conservatione : 1. Statuum conservatione. 2. In principum directione. 3. In desolatorum hominum sublevatione. 4. In variis commoditatibus. 5. In hominum armatura. 6. In variis divinæ ultionis et benignitatis exemplis. 7. In peccatorum permissione. 8. Ex malis Deus bona facit.

THEMA.

Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Math. VI.

Magnus ille Zorobabel instaurator templi Salo-

monis, cum incidisset in diffidentiam de consummatione templi ostendit illi Deus in visione candelabrum septiceps, quod habebat lucernas septem et totidem infusoria seu calamos, per quos stillabat oleum in lucernas, uti legitur Zach. IV. Significabat autem candelabrum secundum Theodoretum, Dei providentiam luce clariorem. Septem lampades, angeli sunt, quibus administris utitur Deus in mundi gubernatione : septem calami significant varios divinæ providentiæ modos et influxus, quibus se creaturis et potissimum hominibus insinuat. Quoniam igitur non communiter hoc diffidentiae vitio laboramus, contemplabimur hoc providentiæ can-